

# A Plautus Reader

## Selections from Eleven Plays

*The Latin Texts Marked Up to Read Aloud*

John Henderson



Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.  
Mundelein, Illinois USA

*Series Editor:* Ronnie Ancona

*Volume Editor:* Laurie Haight Keenan

*Cover Design & Typography:* Adam Phillip Velez

**A Plautus Reader: Selections from Eleven Plays  
The Latin Texts Marked Up to Read Aloud**

John Henderson

© 2009 Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.  
All rights reserved.

**Bolchazy-Carducci Publishers, Inc.**  
1570 Baskin Road  
Mundelein, Illinois 60060  
[www.bolchazy.com](http://www.bolchazy.com)

Web supplement  
**2009**

ISBN 978-0-86516-694-3

# Contents

<b>Introduction</b> . . . . .	iv
<b>1A</b> <i>Poenulus</i> 1–45: Getting the Audience in on the Act . . . . .	1
<b>1B</b> <i>Pseudolus</i> 1–2: Plunging In . . . . .	4
<b>2A</b> <i>Curculio</i> 462–86: Rough Guide to the Roman Forum . . . . .	5
<b>2B</b> <i>Poenulus</i> 541–66: Backstage Onstage . . . . .	7
<b>3A</b> <i>Pseudolus</i> 394–414: The Cunning Slave, or Brains . . . . .	9
<b>3B</b> <i>Menaechmi</i> 77–109: The Parasite, or Smarm-on-legs—“Greaseball” . . . . .	11
<b>3C</b> <i>Cistellaria</i> 203–29: Teenager in Love: The Loverboy . . . . .	13
<b>3D</b> <i>Menaechmi</i> 351–69: Drop-dead Gorgeous: The Babe . . . . .	15
<b>4A</b> <i>Truculentus</i> 482–548: Outmaneuvered: The Soldier and The Whore . . . . .	16
<b>4B</b> <i>Casina</i> 780–854: Invitation to a Wedding: Comedy Gets Married . . . . .	20
<b>4C</b> <i>Asinaria</i> 746–809: The Foolproof Contract: Scriptwriting Onstage . . . . .	24
<b>4D</b> <i>Rudens</i> 938–1044: The Tug of War: Finders and Keepers . . . . .	27
<b>4E</b> <i>Amphitruo</i> 361–462: The Slave Meets His Match: Identity Theft . . . . .	32
<b>5A</b> <i>Captiui</i> 1029–36: Clap Now . . . . .	37
<b>5B</b> <i>Casina</i> 1012–18: Or Else . . . . .	38

# Introduction

## ❖ *The Latin Texts Marked Up to Read Aloud*

This electronic version of the Latin texts of *A Plautus Reader* is designed to help read the play aloud correctly, as verse. (“Hidden quantities”—i.e., long vowels in syllables that are also long metrically because closed with more than one consonant—are marked in the Reader’s Vocabulary, pp. 149–82.)

Identification and analysis of the meters featured in the texts are given in the *Reader* (pp. 145–47).

- ă breve (as in “opūs”) marks metrically shortened syllables
- Ā makron (as in “cōmoedia”) marks long syllables that arise *either* from long vowels *or* from metrical lengthening of the syllable
- an extended makron, as in “dēīnde,” marks synizesis and the like, where the marked vowels form an unusual diphthong or slur together metrically
- The spellings tvī, etc. and svā, etc. indicate a consonantal pronunciation, “twī,” “swā,” etc., scanning as a monosyllable
- A vertical slash | (as in “quom | erī”) marks hiatus and the like, where adjacent words do *not* slur together metrically
- A long dash — tells you that a surprise punchline is arriving (“any time . . . — NOW!”)
- Reduced font marks elided syllables (as in “animūm”; but where final -s “prodelides” es or est — “u’s,” “ust” — all instances are remarked in the *Reader*’s printed notes). In early Latin, final -s (and final -d, in some weakly accented words) and a double consonant (e.g. “-ll-,” “-pp-”), often did not register metrically
- A **double space** is left where verses have a “main” central caesura or word-break, to help orient the reader to the cadence of the line
- Angled brackets < . . . . > indicate that the text is damaged beyond rescue.

Please send reactions and corrections to the Web Reader to John Henderson, at jgh1000@cam.ac.uk

# 1A *Poenulus* 1–45

## ❧ *Getting the Audience in on the Act*

*Enter the PROLOGVS, in his element as generalissimo*

1 Achillem Aristarchī mihi commentārī lubet:  
inde mihi prīcipium capiam, ex eā tragoediā.  
‘silēteque et tacēte atque animūm aduortite,  
audīre iubet uōs imperātor’ — Histricus,  
5 bonōque ut animō sedeāte in subselliīs,  
et qui ēsurgentēs et qui saturī uēnerint:  
qui ēdistis, multō fēcistis sapientius,  
qui nōn ēdistis, saturī fīte fābulīs;  
nam quoi parātum est quod edit, nostrā grātiā  
10 nimia est stultitia sessum imprānsum incēdere.

exsurge, praecō, fac populō audientiam;  
iam dūdūm exspectō, sī tuom officium sciās:  
exercē uōcem, quam per uīuisque et cluēs.  
nam nisi clāmābis, tacitum tē obrēpet famēs.  
15 age nunc reside, duplicem ut mercēdem ferās.  
bonum factum est, ēdicta ut seruētis mea.

scortum exolētum nē quis in prōscaeniō  
sedeat, neu līctor uerbum aut uirgae muttiant,  
neu dissīgnātor praeter ōs obambulet  
20      neu sessum dūcat, dum histriō in scaenā siet.  
diū qui domī ūtiōsī dormiērunt, decet  
animō aequō nunc stent, uel dormīre temperent.

seruī nē obsideant, līberīs ut sit locus,  
uel aes prō capite dent; sī id facere nōn queunt,  
25      domum abeant, uītent ancipitī īfortūniō,  
nē et hīc uariantur uirgīs et lōrīs domī,  
sī minūs cūrāssint, quom | erī reueniant domum.

nūtrīcēs puerōs īfāntīs minūtulōs  
domī ut prōcūrent neu quae spectātum afferat,  
30      nē et ipsae sitiant et puerī pereant famē  
nēue ēsuriēntēs hīc quasi haedī obuāgiant.

mātrōnae tacitae spectent, tacitae rīdeant,  
canōrā hīc uōce svā tīnnīre temperent,  
domum sermōnēs fābulandī cōferant,  
35      nē et hīc uirīs sint et domī molestiae.

quodque ad lūdōrum cūrātōrēs attinet,  
nē palma dētur quoiquām artificī iniūriā  
nēue ambitiōnis causā extrūdantur forās,  
quō dēteriōrēs antepōnantur bonīs.

40 et hoc quoque etiam, quod paene oblītus fuī:  
dum lūdī fiunt, in popīnam, pedisequī,  
irruptiōnem facite; nunc dum occāsiō est,  
nunc dum scriblītae | aestuant, occurrite.  
haec quae imperāta sunt prō imperiō | Histicō,  
45 bonum hērcle factum prō sē quisque ut meminerit.

# 1B *Pseudolus* 1–2

## ❖ *Plunging In*

*Enter the PROLOGVS, over and done in a flash*

1 expōrgī meliust lūmbōs atque exsurgier:

2 Plautīna longa fābula in scaenam uenit.

# 2A Curculio 462–86

## ❖ Rough Guide to the Roman Forum

*Interrupting proceedings, enter the CHORĀGVIS, with some tips on the uptown underworld*

462 edepol nūgātōrem lepidum lepidē hunc nactust Phaedromus.

halophantam an sȳcophantam magis esse dīcam nēsciō.

ōrnāmenta quae locāuī metuō ut possim recipere;

465 quamquam cūm istōc mihi negōtī nihil est: ipsī Phaedromō

crēdidī; tamen asseruābō. sed dum hic ēgreditur forās,

commōnstrābō, quō in quemque hominem facile inueniātis locō,

nē nimiō opere sūmat operam sī quem conuentum uelit,

uel uitiōsum uel sine uitiō, uel probum uel improbum.

470 quī periūrum conuenīre uolt hominem ītō in comitium;

quī mendācem et glōriōsum, apud Cloācīnae sacrum,

dītīs damnōsōs marītōs sub basilicā quaeritō.

ibidem erunt scorta exolēta quīque stipulārī solent,

symbolārum collātōrēs apūd forum piscārium.

475 in forō īfumō bonī hominēs atque dītēs ambulant,

in mediō propter canālem, ibi ostentātōrēs merī;

cōfidentēs garrulīque et maleuolī superā lacum,

quī alterī dē nihilō audācter dīcunt contumēliam

et quī ipsī sat habent quod in sē possit uērē dīcier.

480 sub ueteribus, ibi sunt quī dant quīque accipiunt faenore.

pōne aedem Castoris, ibī sunt subitō quibūs crēdās male.

in Tuscō uīcō, ibi sunt hominēs quī ipsī sēsē uēnditant,

in Vēlābrō uel pīstōrem uel lanium uel haruspicem,  
uel quī ipsī uorsant uel quī aliīs ubi uorsentur praebeant;  
485 dītīs damnōsōs marītōs apūd Leucadiam | Oppiam . . .

486 — sed interim forēs crepuēre: linguae moderandum est mihi.

# 2B Poenulus 541–66

## ❖ Backstage Onstage

*The orphan boy runs the plot: AGORASTOCLĒS has his hands full trying to chivvy and drill his waspish ADVOCĀTĪ for the scam. Watch out, the guy with the girls for hire/sale!*

541       AG nimis īrācundī estis: equidem haec uōbīs dīxī per iocum.

AD per iocūm itidem dictūm habētō quae nōs tibi rēspondimus.

AG obsecrō hērcle, operam celōcem hanc mihi, nē corbītam date;  
attrepidāte saltem, nam uōs appropertāre haud postulō.

545       AD sī quid tū placidē ōtiōsēque agere uīs, operam damus;  
sī properās, cursōrēs meliust tē aduocātōs dūcere.

AG scītis rem, nārrāuī uōbīs quid uostrā operā mī opūs siet,  
dē lēnōne hōc, quī mē amantem lūdificātur tam diū,  
ēī parātae ut sint īnsidiae dē aurō et dē seruō meō.

550       AD omnia istaec scīmus iam nōs, sī hī spectātōrēs sciant;  
hōrunc hīc nunc causā haec agitur spectātōrum fābula:  
hōs tē satius est docēre, ut, quando agās, quid agās sciant.  
nōs tū nē cūrāssīs: scīmus rem omnem, quīppe omnēs simul  
dīdicimus tēcum ūnā, ut rēspondēre possēmus tibi.

555       AG ita profectō est. sed agite igitur, ut sciam uōs scīre rem,  
expedīte et mihi quae uōbīs dūdum dīxī dīcite.

AD itane? temptās an sciāmus? nōn meminisse nōs ratu's,  
quō modō trecentōs Philippōs Collybiscō uīlicō

dederīs, quōs dēferret hūc ad lēnōnem inimīcum tuom,  
sē | ut āssimulāret peregrīnum esse aliunde ex aliō oppidō?  
ubi ūs dētulerit, tū | eō quaesītum seruom adueniēs tuom  
cum pecūniā. AG meministis memoriter, seruāstīs me.

- AD ille negābit: Milphiōnem quaerī cēnsēbit tuom;  
id duplicābit omne fūrtum. lēnō addīcētur tibi.  
ad eam rem nōs esse testīs uīs tibī. AG tenētīs rem.
- AD uix quidem hērcle, | ita pauxilla est, digitulīs prīmōribus.

# 3A *Pseudolus* 394–414

## ❖ *The Cunning Slave, or Brains*

*Slave PSEVDOLVS must try and think up some action—fast*

394 postquam ǐlic hinc abiit, tū astās sōlus, Pseudole.

395 quid nunc āctūru’s, postquam erīlī fīliō  
largītu’s dictīs dapsilīs? ubi sunt ea?  
quoi neque parāta est gutta certī cōsiliō  
neque adeō argentī neque — nunc quid faciam sciō.  
neque exōrdīrī prīmūm unde occipiās habēs,  
400 neque ǎd dētexundam tēlam certōs terminōs.

sed quasi poēta, tabulās quom cēpit sibi,  
quaerit quod nūsquām est gentium, reperit tamen,  
facit illud uērī simile quod mendācium est,  
nunc ego poēta fīam: uīgintī minās,  
405 quae nūsquām nunc sunt gentūm, inueniam tamen.

atquē ego mē iam prīdem huic datūrum dīxeram  
et uoluī inicere trāgulām in nostrum senem;  
uērum is nēscioquō pāctō praesēnsit prius.

sed comprimunda est uōx mihī atque ūrātiō:  
erum eccum uideō | hūc Sīmōnem ūnā simul  
cum svō uīcīnō Calliphōne incēdere.  
ex hōc sepulcrō uetere uīgintī minās  
effodiam ego hodiē, quās dem erīlī filiō.

nunc hūc concēdām, unde hōrum sermōnem legam.

# 3B Menaechmi 77–109

❧ *The Parasite, or Sarm-on-legs—“Greaseball”*

*Enter PĒNICVLVS, everybody's best mate and yours. And his own.*

77 iuuentus nōmen fēcit Pēniculō mihi,  
ideō quia mēnsam, quandō edō, dētergeō.

80 hominēs captīuōs quī catēnīs uinciunt  
et quī fugitīuīs seruīs indunt compedēs,  
nimīs stultē faciunt mēā quidem sententiā.  
nam | hominī miserō sī ad malū accēdit malum,  
maior lubīdo est fugere et facere nēquiter.  
nam sē ex catēnīs eximunt aliquō modō,  
85 tum compedītī | ānum līmā praeterunt  
aut lapide excutiunt clāuom. nūgae sunt eae.

90 quem tū assruāre rēctē, nē aufugiat, uolēs,  
ēscā atque pōtiōne uincīrī decet.  
apūd mēnsam plēnam | hominī rōstrum dēligēs;  
dum tū illī quod edit et quod pōtet praebeās,  
suō arbitrātū | affatim quotīdiē,  
numquam edepol fugiet, tam etsī capitāl fēcerit.  
facile assruābis, dum | eō uinclō uinciēs:  
ita istaec nimīs lenta uincla sunt ēscāria.  
95 quam magis extendās, tantō astrīngunt artius.

nam ego ad Menaechmum | hunc eō, quō iam diū  
sum iūdicātus; ultrō eō ut mē uinciat.

nam illic homō | hominēs nōn alit, uērum ēducat  
recreatque: nūllus melius medicīnam facit.

100 ita est adulēscēns ipsus; ēscae maxumae  
Cereālis cēnās dat, ita mēnsās exstruit,  
tantās struīcēs concinnat patināriās:  
standum est in lectō, sī quid dē summō petās.

sed mī interuāllum iam hōs diēs multōs fuit:  
105 domī domītus sum ūsque cum cārīs meīs.  
nam neque edō neque emō nisi quod est cārissimum.  
id quoque iam cārī quī īstruontur dēserunt.  
nunc ad eum inuīsō.

sed aperītur ōstium:  
Menaechmūm eccūm ipsum uideō, prōgreditur forās.

# 3C *Cistellaria* 203–29

## ❧ *Teenager in Love: The Loverboy*

ALCĒSIMARCHVS sings the blues: “Love hurts”

203 crēdō ego Amōrem prīmūm apud hominēs carnuficīnam commentum.  
hanc ego dē mē coniectūram domī faciō, nī forīs quaeram,  
205 qui omnēs hominēs superō, antideō cruciābilitātibus animī.

iactor, crucior, agitor,  
stimulor, uorsor  
in amorīs rotā, miser exanimor,  
feror differor distrahor, dīripior,  
210 ita nūbilam mentem animī habeō.  
ubi sum, ibi nōn sum, ubi nōn sum, ibi est animus,  
ita mī omnia sunt ingenia;  
quod lubet, nōn lubet iam id continuō,  
215 ita mē Amor lassum animī lūdificat,  
fugat, agit, appetit, raptat, retinet,  
lactat, largītur: quod dat, nōn dat; dēlūdit:  
modō quod suāsit, id dissuādet,  
220 quod dissuāsit, id ostentat.  
maritumīs mōribūs mēcum experītur,  
ita meum frangit amantem animum;  
neque, nisi quia miser nōn eō pessum,  
mihi ūlla abest perditō permitiēs.

225 ita pater apud uillam dētinuit  
mē hōs diēs sex rūrī continuōs,  
227+228 neque licitum intereā est meām amīcam uīsere miserō.  
229 estne hoc miserum memorātū?

# 3D *Menaechmi* 351–69

## ❖ Drop-dead Gorgeous: The Babe

ERŌTIVM does her “Come on in, John” number. Who could refuse her open arms?

351 sine forēs sīc, abī, nōlō operīrī.

352+353 intus parā, cūrā, uidē, quod opust fiat:

sternite lectōs, incendite odōrēs;

355 munditia illecebra animō est amantum.

amantī amoenitās malō est, nōbīs lūcrō est.

sed ubi ille est, quem coquos ante aedīs esse āit? atque eccum uideō,  
quī mihi est ūsuī et plūrimum prōdest.

item hinc ultrō fīt, ut meret, potissumus nostrae domī ut sit;

360 nunc eum adībō, alloquār ultrō.

animule mī, mihī mīra uidentur,  
tē hīc stāre forīs, forēs quoi pateant,  
magis quam domus tua, domus quom haec tua sit.

omne parātum est, < . . . . . > ro

365 ut iussisti atque ut uoluistī, neque tibi est  
ūlla mora intus.

367+368 prāndium, ut iussisti, hīc cūrātumst: ubi lubet, īre licēt accubitum.

# 4A *Truculentus* 482–548

## ❖ *Outmaneuvered: The Soldier and The Whore*

STRATOPHANĒS is back from the wars, about to look up the self-employed madame PHRONĒSIUM and her maid ASTAPHIUM, with a train bearing gifts from the booty. He has it coming, and here it is.

482 ST nē exspectētis, spectātōrēs, mēas pugnās dum praedicem:  
manibus dvella praedicāre soleō, haud in sermōnibus.  
sciō ego multōs memorāuisse mīlitēs mendācium:  
et Homēronidā et postillā mīlle memorārī pote,  
485 quī et conuictī et condemnātī falsīs dē pugnīs sient.  
486 nōn laudandust quoī plūs crēdit quī audit quam ille quī uidet:  
nōn placet quem scurrae laudant, manipulārēs mussitant,  
488 plūris est oculātus testis ūnus quam aurītī decem:  
quī audiunt audīta dīcunt, quī uident plānē sciunt.  
490 nōn strēnuī nimiō plūs prōsunt populō quam argūtē catī:  
neque ūllī quōrum lingua gladiōrum aciem praestrīngit domī.  
facile sibi fācunditātem uirtūs argūtam inuenit,  
495 sine uirtūte argūtum cīuem mihi habeam prō praeficā,  
quaē aliōs collaudat, eapse sēsē uērō nōn potest.  
nunc ad amīcam decumō mēnse post Athēnās Atticās  
uīsō, quam grauidam hīc relīquiī meō compressū, quid ea agat.

- PH uide quis loquitur tam propinquē. AS mīles, mea Phronēsium,  
 500 tibi adest Stratophanēs. nunc tibi opust, aegram ut tē assimulēs. PH tacē.  
 quoi | adhūc ego tam mala eram monētrīx, mē maleficiō uincerēs?
- ST peperit mulier, ut ego opīnor. AS uīsne adeām ad hominem? PH uolō.
- ST euge, Astaphium eccam it mī aduorsum. AS saluē ēcastor, Stratophanēs.  
 saluom tē — ST sciō. sed peperitne, obsecrō, Phronēsium?
- 505 AS peperit puerum nimium lepidum. ST ehem, ecquid mēī simile est? AS rogās?  
 quīn ubī nātust machaerām et clupeum poscēbat sibi?
- ST meus est, sciō iam dē argūmentīs. AS nimium tvī simile est. ST papae,  
 iam magnust? iamne iit ad legiōnem? ecquaē spolia rettulit?
- AS erre, nudiusquīntus nātus ille quidem est. ST quid posteā?  
 510 inter tot diēs quidem hērcle iam aliquid āctum oportuit.  
 quid Ȑllī ex uterō exitiō est priūs quam poterat īre in proelium?
- AS cōsequere atque illam salūtā et grātulāre illī. ST sequor.
- PH ubi Ȑlla, | obsecrō, est quae mē hīc reliquit, ēāpse abiīt? ubi est?
- AS adsum, addūcō tibi exoptātum Stratophanem. PH. ubi is est, obsecrō?
- 515 ST Mārs peregrē adueniēns salūtat Neriēnem uxōrem suam.  
 quom tū rēctē prōuēnistī quomque ēs aucta līberīs,  
 grātulor, quom mihi tibīque magnum peperistī decus.
- PH saluē, quī mē interfēcistī paene uītā et lūmine  
 quīque mihi magnī dolōris per uoluptātem tuam  
 condidistī in corpus, quō nunc etiam morbō misera sum.
- 520 ST hēia, haud ab rē, mea uoluptās, tibi Ȑtic obuēnit labōs:  
 filium peperistī, quī aedīs spoliīs opplēbit tuās.
- PH multō ēcastor magis opplētīs trītīcī opust grānāriīs,  
 nē, ille priūs quam spolia capiat, hinc nōs exstīnxit famēs.

525 ST habē bonū animū. PH sāuium pete hinc sīs. āh, nequeō caput tollere, ita dolēt itaque egomet doleō, neque etiam queō pedibus mēā sponte ambulāre. ST sī hērcle mē ex mediō marī sāuium petere tuom iubeās, petere haud pigeat, mel meum. id ita esse experta ēs: nunc experiēre, mea Phronēsium, mē tē amāre.

530 addūxī ancillās tibi ēccās ex Syriā duās, hīs tē dōnō. addūcē hōc tū istās. sed ̄stae rēgīnae domī svae fuēre ambae, eārum patriam ego excīdī manū. hīs tē dōnō. PH paenitetne tē quot ancillās alam, quīn exāmen super addūcās, quae mihī comedint cibum? ST hoc quidem hērcle est ingrātum dōnum.

535 cedo tū mī istam purpuram. mea uoluptās, attulī eccam pallulam ex Phrygiā tibi. tenē tibi. PH hocine mī ob labōrēs tantōs tantillum darī? ST periī hērcle ego miser. iam mī aurō contrā cōnstat filius: etiam nihilī pendit purpurām.

| ex Ārabīa tibi  
540 attulī tūs, Pontō amōmum. tenē tibī, uolūptās mea. PH accipe hoc, Astaphium, abdūce hāscē | hinc ē cōnspectū Syrās.

ST ecquid amās mē? PH nihil ēcastor, neque merēs. ST nīlne huic sat est? nē bonum uerbum quidem ūnum dīxit. uīgintī minīs uēnīre illaec posse crēdō dōna quae ēī dōnō dedī. uehementer nunc mī est īrāta, sentiō atque intellegō;

uērum abībō. quid aīs? nunc tū num nēuīs mē, uolūptās mea,  
quō uocātus sum īre ad cēnam? mox hūc cubitum uēnerō.  
quid tacēs? plānissumē edepol periī.

sed quid ūlūc nouī est?

# 4B *Casina* 780–854

## ❖ *Invitation to a Wedding: Comedy Gets Married*

*Head of household LYSIDĀMVS (never named in the script itself) comes out, talking back through the door to his wife CLEUSTRATA, inside holding up the wedding-feast interminably. It was a nice day for a white wedding, a wedding to treasure always . . .*

780 LY sī sapitis, uxor, uōs tamen cēnābitis,  
cēna ubi erit cocta: | ego rūrī cēnāuerō.  
nam nouōm marītum | et nouam nūptam uolō  
rūs prōsequī — nōuī hominum mōrēs maleficōs —  
nē quis eām abripiat. facite uostrō animō uolup.  
785 sed properāte istum atque istam āctūtum ēmittere,  
tandem ut ueniāmus lūcī: | ego crās hīc erō:  
crās habuero, uxor, ego tamen conuīuium.

*Enter CLEUSTRATA's maid PARDALISCA*

PA fīt, quod futūrum dīxi: incēnātum senem  
forās extrūdunt mulierēs. LY quid tū hīc agis?  
790 PA ego eō quō mē ipsa mīsit. LY uērōn? PA sēriō.  
LY quid hīc speculāre? PA nīl equidem speculor. LY abī:  
tū hīc cūnctās: intus aliī festīnant. PA eō.

*Exit PARDALISCA*

LY abī hinc sīs ergō, pessumārum pessuma. —  
iamne abiit illaec? dīcere hīc quidūis licet:  
795 quī amat, tamen hērcle, sī ēsurit, nūllum ēsurit.  
sed ēccum prōgreditur cum corōnā et lampade  
meūs socius, compār, commarītus, uīlicus.

*Here comes the groom: enter LYSIDĀMVS' hick slave sidekick OLYMPIŌ*

OL age, tībīcen, dum illam ēdūcunt hūc nouam nūptam forās,  
suāuī cantū concelebrā omnem | hanc plateām hymenaeō meō,  
800 hymēn hymenaeē, ō hymēn.  
LY quid agis, mea salūs? OL ēsuriō hērcle, | atque adeō haud salūbriter.  
LY at ego amō. | OL at ego hērcle nīlī faciō: tibi amor prō cibō est:  
mihi iēiūnitāte iam dūdum intestīna murmurant.  
LY nam quid iīlaec nunc tam diū intus remorantur remelīginēs?  
805 quasi ob industriam, quantō ego plūs properō, prōcēdit minus.  
OL quid sī etiam suffundam hymenaeum, sī quī citius prōdeant?  
LY cēnseō: et ego tē adiuuābō in nūptiīs commūnibus.  
LY +  
OL hymēn, hymenaeē, ō hymēn.

LY periī hērcle ego miser: dīrumpī cantandō hymenaeum licet  
810 illō morbō, quō dīrumpī cupiō, nōn est cōpiae.  
OL edepol, nē tū sī | equos essēs, essēs indomābilis.  
LY quō argūmentō? OL nimīs tenāx ēs. LY num mē expertu's ūspiam?  
OL dī melius faciant. sed crepuit ūstium: exītur forās.  
LY dī hērcle mē cupiunt seruātum.

*Enter from home the wedding train: CLEISTRATA with PARDALISCA attending her suave slave CHALINVS (radiant in bridal saffron and panto falsies)*

814B PA

iam oboluit Casinus procul.

815+816 sēnsim super attolle līmen pedēs, noua nūpta:  
sōspēs iter incipe hōc, uti uirō tuō  
semper sīs superstēs,

819+820 tuaque ut potior pollutia sit, uincāsque uirum uictrīxque siēs.  
tua uōx superet tuōmque imperium:  
uir tē uestiat, tū uirum dēspoliēs.  
noctūque et diū | ut uirō subdola sīs,  
obsecrō, mementō.

825 OL malō maxumō svō hērcle īlicō, | ubi tantillum peccāssit —  
LY tacē. OL nōn taceō. LY quae rēs? OL mala malae malē mōnstrat.  
LY faciēs tū | hanc rem mi ex parātā imparātam:  
id quaerunt uolunt, haec ut īfecta faciant.

829+830 CL age, Olympiō, quandō uīs uxōrem, accipe hanc ab nōbīs.  
OL date ergō, datūrae sī umquam estis hodiē uxōrem.  
LY abīte intrō. CL amābō, integræ atque imperītae huic  
impercitō. OL futūrum est.  
ualēte. LY īte iām, | īte iam. CL ualēte.

CLEISTRATA re-enters her house with PARDALISCA in tow

835 LY iamne abscessit uxor? OL domī est: nē timē. LY euax,  
nunc pol dēmum ego sum liber.

meum corculum, melculum, uērculum. OL heus tū,  
malō, sī sapīs, cauēbis:  
mea est haec. LY. sciō: sed meus frūctust prior.

840     OL tenē hanc lampadem. | LY immō ego hanc tenēbō.  
            Venūs multipotēns, bona multa mihi  
            dedistī, huiūs quom cōpiam mihi dedistī. OL ō,  
            corpusculum malacum.

OL mea ūxōrcula —  
            quae res?

845     LY quid ēst? OL īstitiō plantam  
            quasi lūca bōs. LY tacē sīs.  
            nebula haud est mollis aequē atquē hūius pectus est.

OL edepol papillam bellulam  
            — ēī miserō mihi.

LY quid ēst? OL pectus mī īcit nōn cubitō, uērum āriete.  
850     LY quid tū ergō hanc, quaesō, trāctās tam dūrā manū?  
            at mihi, quī bellē hanc trāctō, nōn bellum facit.  
            uāh. OL quid negōtī est? LY obsecrō, ut ualentula est,  
            paene exposīuit cubitō. OL cubitum ergō īre uolt.

LY quīn īmus ergō? OL ī, belle belliātula.

*Exeunt into next door*

# 4C Asinaria 746–809

## ❖ *The Foolproof Contract: Scriptwriting Onstage*

Loverboy DIABOLVS has his pal the PARASITVS draw up a contract with Madame, for a year's exclusive rights to her "daughter," cash down. It's trickier than it sounds. You'll see, as they read over his draft.

746      DI agedum istum ostende quem cōnscrīpstī syngraphum  
              inter mē et amīcum et lēnam. lēgēs pellege.  
              nam tū poēta ēs prōrsus ad eam rem ūnicus.

PA horrēscet faxō lēna, lēgēs quom audiet.

750      DI age quaesō mī hērcle trānslege. PA audīsne? DI audiō.  
PA 'Diabolus Glaucī filius Cleāretae

lēnae dedīt dōnō argentī uīgintī minās,  
Philaenium ut sēcum esset noctēs et diēs  
hunc annum tōtum.' — DI neque cum quīquam aliō quidem.

755      PA addōne? | DI adde, et scribās uidē plānē et probē.

PA 'aliēnum | hominem | intrō mittat nēminem.  
quod ǐlla aut amīcum | aut patrōnum nōminet,  
aut quod ǐlla amīcae suae amātōrem praedicet,  
forēs occlūsae | omnibus sint nisi tibi.

760      in foribus scribat occupātam | esse sē.  
aut quod ǐlla dīcat peregrē allātam epistulam,  
nē epistula quidem | ūlla sit in aedibus  
nec cērāta adeō tabula; et sī qua inūtilis  
pīctūra sit, eām uēndat: nī in quadrīduo

765 abaliēnārīt, quō abs tē argentum accēperīt,  
tuos arbitrātus sit, combūrās, sī uelīs,  
nē illī sit cēra, ubi facere possit litterās.  
uocet conuīuam nēminem illa, tū uocēs;  
ad eōrum nē quem | oculōs adiciat suōs.  
770 sī quem alium aspexit, caeca continuō siet.

tēcum ūnā posteā, aequē pōcla pōtitet:  
abs tēd accipiat, tibi prōpīnet, tū bibās,  
nē illa minus aut plūs quam tū sapiat.' DI satīs placet.

PA 'suspīciōnēs omnēs ab sē sēgreget.

775 neque illaec ūllī pede pedem | hominī premat,  
quom surgat, neque quom in lectūm īscendat proximum,  
neque quom dēscendat inde, det quoiquam manum:  
spectandum nē quoi | ānulum det neque roget.  
tālōs nē quoiquam | hominī admoueat nisi tibi.

780 quom iaciat, 'tē' nē dīcat: nōmen nōminet.  
deām inuocet sibi quam lubēbit propitiam,  
deum nūllum; sī magīs religiōsa fūerīt,  
tibi dīcat: tū prō illā ūrēs ut sit propitius.  
neque illa ūlli hominī nūtet, nictet, adnuat.

785 post, sī lucerna exstīcta sit, ne quid suī  
membrī commoueat quicquam in tenebrīs.' DI optumē est.  
ita scīlicet factūram. uērum in cubiculō,  
dēme istūc, equidem illam mouērī gestiō.  
nōlō illam habēre causam et uetitam dīcere.

790 PA sciō, captiōnēs metuis. DI uērum. PA ergō ut iubēs,  
tollam? DI quid ni? PA audī relicua. DI loquere, audiō.

PA ‘neque ūllum uerbum faciat perplexābile,  
neque ūllā linguā sciāt loquī nisi Atticā.  
forte sī tussīre occēpsit, nē sīc tussiat,  
ut quoiquam linguam in tussiendō prōserat.  
795 quod ǐlla autem simulet, quasi grauēdō prōfluat,  
hoc nē sīc faciat: tū labellum abstergeās  
potius quam quoiquam sāuium faciat palam.  
nec māter lēna ad uīnum accēdat interim,  
800 nec ūllī uerbō male dīcat. sī dīxerit,  
haec multa ēī estō, uīnō uīgintī diēs  
ut careat.’ DI pulchrē scripstī. scītum syngraphum.

PA ‘tum sī corōnās, sertā, unguenta iusserit  
ancillam ferre Venerī | aut Cupīdinī,  
tuōs seruos seruet, Venerīne ēās det an uirō.  
805 sī forte pūrē uelle habēre dīxerit,  
tot noctēs reddat spurcās quot pūrē habuerit.’

haec sunt nōn nūgae, nōn enīm mortuālia.  
DI placent profectō lēgēs. sequere intrō. PA sequor.

# 4D *Rudens* 938–1044

## ❖ *The Tug of War: Finders and Keepers*

*Slave TRACHĀLIŌ, here with his master on a mission, catches local slave and fisherman GRĪPVIS with a strange catch that—miraculously—he can recognize from way off the beach. There's plenty riding on safe recovery of the contents.*

- TR heus, manē. GR quid maneam? TR dum hanc tibī,  
938 quam trahīs, rūdentem  
complicō.
- GR mitte modō. TR at pol ego tē adiuuō.  
nam bonīs quod bene fīt haud perit.
- 940 GR turbida tempestās heri fuit,  
nīl habeō, adulēscēns, piscium,  
nē tū mihi esse postulēs;  
nōn uidēs referre mē ūuidum  
rēte, sine squāmōsō pecū?
- TR nōn edepol piscīs expetō  
quam tvī sermōnis sum indigēns.
- GR ēnicās iam mē odiō, quisquis ēs.  
TR nōn sinam ego abīre hinc tē. manē.
- 945 GR cauē sīs malō. quid tū, malum, nam mē retrahis? TR audī.  
GR nōn audiō. TR at pol quī audiēs post. GR quīn loquere quid uīs.  
TR echo manēdum, est operae pretium quod tibi ego nārrāre uolō.  
GR ēloquere quid id est? TR uidē num quispiam cōsequitur prope nōs.  
GR ecquid est quod meā rēferat? TR scīlicet.

950 sed bonī cōnsilī ecquid in tē mihi est?

GR quid negōtī est, modō dīce. TR dīcam, tacē,

952+953 sī fidem modō dās mihi tē nōn fore īnfīdum.

954+955 GR dō fidem tibi, fīdus erō, quisquis ēs. TR audī.

fūrtum ego uīdī quī faciēbat;

nōram dominum, id quoī fīēbat

post ad fūrem egomet dēueniō

ferōque ēī condiciōnem hōc pāctō:

‘ego istuc fūrtum sciō quoī factum est;

nunc mihi sī uīs dare dīmidium,

indictum dominō nōn faciam.’

is mihi nihil etiam rēspondit.

quid īnde aequom est dari mihi? dīmidium

960 uolō ūt dīcās. GR immō hērclē etiam

amplius,

nam nisi dat, dominō dīcundum

cēnseō. TR tuō cōnsiliō faciam.

nunc aduorte animum; namque hoc omne

attinet ad tē. GR quid factum est?

TR uīdulum istum quōiust nōuī ego hominem iam prīdem. GR quid est?

TR et quō pāctō periīt. GR at ego quō pāctō inuentust sciō

965 et quī inuēnit hominem nōuī et dominus quī nunc est sciō.

nihilō pol plūris tvā hoc quam quantī illud rēfert meā:

ego īllum nōuī quōius nunc est, tū illum quōius antehāc fuit.

hunc homō feret ā mē nēmō, nē tū tē spērēs potis.

TR nōn ferat sī dominus ueniat? GR dominus huic, nē frūstrā sīs,

970 nisi ego nēmō nātust, hunc quī cēpī in uēnatū meō.

TR itane uērō? GR ecquem esse dīcēs in marī piscem meum?  
quōs quom capiō, siquidem cēpī, mēi sunt; habeō prō meīs,  
nec manū asseruntur neque illinc partem quisquam postulat.  
in forō palam omnēs uēndō prō meīs uēnālibus.

975 mare quidem commūne certō est omnibūs. TR assentiō:  
quī minus hunc commūnem, quaesō, mī esse oportet uīdulum?  
in marī inuentust commūnī. GR ēsne impudenter impudēns?  
nam sī istūc iūs sit quod memorās, piscātōrēs perierint.  
quīppe quom extemplō in macellum piscēs prōlātī sient,  
980 nēmō emat, svam quisque partem piscium poscant sibi,  
dīcant, in marī commūnī captōs. TR quid aīs, impudēns?  
ausu's etiam comparāre uīdulum cum piscibus?  
eadem tandem rēs uidētur? GR in manū nōn est meā:  
ubi dēmīsī rēte atque hāmum, quicquid haesit extrahō.  
985 meūm quod rēte atque hāmi nactī sunt, meum potissimum est.

TR immō hērcle haud est, siquidem quod uās excēpistī. GR philosophē.

TR sed tū ēnumquam piscātōrem uīdistī, uenēfice,  
uīdulum piscem cēpissem aut prōtulisse ūllūm in forum?  
nōn enīm tū hīc quidem occupābis omnīs quaestūs quōs uolēs:  
990 et uītōrem et piscātōrem tē esse, impūre, postulās.  
uel tē mihi mōnstrāre oportet piscis quī sit uīdulus,  
uel quod in marī nōn nātum est neque habet squāmās nē ferās.

GR quid, tū numquam audīstī esse antehāc uīdulum piscem? TR scelus,  
nūllus est. GR immō est profectō; ego, quī sum piscātor, sciō;  
995 uērum rārē capitur, nūllus minūs saepe ad terram uenit.

TR nīl agis, dare uerba spērās mihi tē posse, furcifer.

GR quō colōre est, hōc colōre capiuntur pauxillulī;

sunt aliī pūnīceō coriō, magnī item; atque ātrī. TR sciō.  
tū hērclē opīnō, in uīdulum tē bīs conuortēs, nisi cauēs;  
1000 fīet tibi pūnīceum corium, posteā ātrum dēnuō.

GR quod scelus hodiē hoc inuēnī. TR uerba facimus, it diēs.  
uidē sīs, quōius arbitrātū nōs uīs facere. GR uīdulī  
arbitrātū. TR itan? GR ita enim uērō. TR stultus ēs. GR saluē, Thalēs.  
TR tū istunc hodiē nōn ferēs, nisi dās sequestrem aut arbitrum,  
1005 quōius haec rēs arbitrātū fīat. GR quaesō, sānusne ēs?  
TR helleborōsus sum. GR at ego cerrītūs, hunc nōn āmittam tamen.  
TR uerbum etiam adde ūnum, iam in cerebrō colaphōs abstrūdam tuō;  
iam ego tē hīc, itidem quasi pēniculus nouos exurgērī solet,  
nī hunc āmittis, exurgēbō quicquid ūmōris tibi est.  
1010 GR tange: afflīgam ad terram tē itidem ut piscem soleō pōlypum.  
uīs pugnāre? TR quid opust? quīn tū potius praedam dīuide.

GR hinc tū nisi malum frūnīscī nīl potes, nē postulēs.  
abeō ego hinc. TR at ego hinc offlectam nāuem, nē quō abeās. manē.  
GR sī tū prōrēta istī nāuī ēs, ego gubernātōr erō.  
1015 mitte rūdentem, sceleste. TR mittam: ōmitte uīdulum.  
GR numquam hērclē hinc hodiē rāmentā fīēs fortūnātior.  
TR nōn probāre pernegandō mihi potes, nisi pars datur  
aut ad arbitrum redītur aut sequestrō pōnitur.

GR quemne ego excēpī in marī – | TR at ego īspectāuī ē lītore.  
1020 GR meā operā, labōrē et rētē et hōriā? TR numquī minus,  
sī ueniat nunc dominus quōiust, ego qui īspectāuī procul  
tē hunc habēre, fūr sum quam tū? GR nihilō. TR manē, mastīgia:

quō argūmentō socius nōn sum, et fūr sum? facdūm ex tē sciam.

GR nēsciō, neque ego istās uostrās lēgēs urbānās sciō,

1025 nisi quia hunc meum esse dīcō. | TR et ego item esse āiō meum.

GR manē, iam repperī quō pāctō nec fūr nec socius siēs.

TR quō pāctō? GR sine mē hinc abīre, tū | abī tacitus tvam uiam;  
nec tū mē quoiquām indicāssis neque ego tibi quicquam dabō;  
tū tacētō, ego mussitābō: hoc optumūm atque aequissumum est.

1030 TR ecquid condiciōnis audēs ferre? GR iam dūdum ferō:

ut abeās, rūdentem āmittās, mihi molestus nē siēs.

TR manē, dum referō condiciōnem. GR tē, obsecrō hērcle, aufer modō.

TR ecquem in hīs locīs nōuisti? GR oportet uīcinōs meōs.

TR ubi tū hīc habitās? GR porrō illīc longē ūsque in campīs ultumīs.

1035 TR uīsne quī in hāc uīllā habitat, eius arbitrātū fierī?

GR paulisper remitte restem, dum concēdō et cōsulō.

TR fīat. GR euge, salua rēs est, praeda haec perpetua est mea;  
ad meūm erūm arbitrum uocat mē hīc intrā praesēpīs meās:  
numquām hērcle hodiē abiūdicābit ab suō triōbolum.

1040 nē iste haud scit quam condiciōnem tetulerit. ībō ad arbitrum.

TR quid igitur? GR quamquām istuc esse iūs meum certō sciō,  
fīat istuc potius, quam nunc pugnem tēcum. TR nunc placēs.

GR quamquām ad ignōtūm arbitrum mē appellis, sī adhibēbit fidem,  
etsī ignōtust, nōtus: sī nōn, nōtus ignōtissumust.

# 4E *Amphitruo* 361–462

## ❖ *The Slave Meets His Match: Identity Theft*

Slave SŌSIA, bringing back home news of victory, runs into the messenger god MERCURY, who has stolen his identity and bars entry to his master's house.

- 361     SO tūne domō prohibēre peregrē mē aduenientem postulās?  
ME haecine tua domust? SO ita inquam. ME quis erus est igitur tibi?  
SO Amphitruō, quī nunc praefectust Thēbānīs legiōnibus,  
quīcum nūpta est Alcumēna. ME quid äis? quid nōmen tibi est?  
365     SO Sōsiam uocant Thēbānī, Dāuō prōgnātum patre.  
  
ME nē tū istīc hodiē malō tvō compositīs mendāciīs  
aduēnistī, audāciāī columen, cōnsūtīs dolīs.  
SO immō equidem tunicīs cōnsūtīs hūc adueniō, nōn dolīs.  
ME at mentīris etiam: certō pedibus, nōn tunicīs uenīs.  
370     SO ita profectō. ME nunc profectō uāpulā ob mendācium.  
SO nōn edepol uolō profectō. ME at pol profectō ingrātiīs.  
hoc quidem ‘profecto’ certum est, nōn est arbitrārium.  
SO tvam fidem obsecrō. ME tūne tē audēs Sōsiam esse dīcere,  
quī | ego sum? SO periī. ME parum etiam, praeut futūrum est, praedicās.  
375     quōius nunc ēs? SO tuōs, nam pugnīs ūsū fēcistī tuom.  
prō fidem, Thēbānī cīuēs. ME etiam clāmās, carnufex?  
loquere, quid uēnistī? SO ut esset quem tū pugnīs caederes.  
  
ME quōius ēs? SO Amphitruōnis, inquam, Sōsia. ME ergō istōc magis,  
quia uāniloquo’s, uāpulābis: ego sum, nōn tū, Sōsia.  
380     SO ita dī faciant, ut tū potius sīs atque ego tē ut uerberem.  
ME etiam muttīs? SO iam tacēbō. ME quis tibi erust? SO quem tū uolēs.

- ME quid igitur? quī nunc uocāre? SO nēmō nisi quem iusseris.
- ME Amphitruōnis tē esse āiēbās Sōsiam. SO peccāueram,  
nam Amphitruōnis socium nē mē | esse uoluī dīcere.
- 385 ME scībam equidem nūllum esse nōbīs nisi mē seruom Sōsiam.  
fūgit tē ratiō. | SO utinam istuc pugnī fēcissent tuī.
- ME ego sum Sōsia ille quem tū dūdum esse āiēbās mihi.
- SO obsecrō ut per pācem liceat tē alloqui, ut nē uāpulem.
- ME immō indūtiae parumper fiant, sī quid uīs loquī.
- 390 SO nōn loquar nisi pāce factā, quandō pugnīs plūs ualēs.
- ME dīc sī quid uīs, nōn nocēbō. SO twae fidē crēdō? ME meae.
- SO quid sī fallēs? ME tum Mercurius Sōsiae īrātus siet.
- SO animūm aduorte. nunc licet mihi līberē quiduīs loquī.  
Amphitruōnis ego sum seruos Sōsia. ME etiam dēnuō?
- 395 SO pācem fēcī, foedus fēcī. uēra dīcō. ME uāpulā.
- SO ut lubet quid tibi lubet fac, quoniam pugnīs plūs ualēs;  
uērum, utut ēs factūrus, hoc quidēm hērcle haud reticēbō tamen.
- ME tū mē uīuos hodiē numquam faciēs quīn sim Sōsia.
- SO certē edepol tū mē aliēnābis numquam quīn noster siem;
- 400 nec nōbīs praeter mēd alias quisquam est seruos Sōsia,
- 402 ME hic homō sānus nōn est. SO quod mihi praedicās uitium, id tibi est.  
quid, malum, nōn sum | ego seruos Amphitruōnis Sōsia?  
nōnne hāc noctū nostrā nāuis hūc ex portū Persicō  
uēnit, quae mē aduēxit? nōnne mē hūc erūs mīsit meus?  
nōnne ego nunc stō ante aedēs nostrās? nōn mī est lanternā in manū?  
nōn loquōr, nōn uigilō? nōnne hic homō modō mē pugnīs contudit?  
fēcit hērcle, nām etiam miserō nunc mihī mālæ dolent.

quid igitur ego dubitō, aut cūr nōn intrō eō in nostram domum?

- 410 ME quid, domūm uostram? | SO ita enīm uērō. ME quīn quae dīxitī modō  
omnia ēmentītu's: equidem Sōsia Amphitruōnī sum.  
nam noctū hāc solūta est nāuis nostra ē portū Persicō,  
et ubi Pterela rēx rēgnāuit oppidūm expugnāuimus,  
et legiōnēs Tēleboārum uī pugnandō cēpimus,  
et īpsus Amphitruō obtruncāuit rēgem Pterelām in proeliō.
- 415

- SO egomet mihi nōn crēdō, quom illaec autumāre illum audiō;  
hic quidēm certē quae illīc sunt rēs gestae memorat memoriter.  
sed quid āīs? quid Amphitruōnī | ā Tēleboīs est datum?

- ME Pterela rēx quī pōtitāre solitus est paterā aureā.
- 420 SO ēlocūtus est. ubi patera nunc est? ME est in cistulā;  
Amphitruōnis obsīgnāta sīgnō est. SO sīgnī dīc quid est?  
ME cum quadrīgīs Sōl exoriēns. quid mē captās, carnufex?

- 425 SO argūmentīs uīcit, aliud nōmen quaerundum est mihi.  
nēsciō unde haec hic spectāuit. iam | ego hunc dēcipiam probē;  
nam quod egomet sōlus fēcī, nec quisquam alias affuit,  
in tabernāclō, id quidēm hodiē numquam poterit dīcere.  
sī tū Sōsia ēs, legiōnēs quom pugnābant maxumē,  
quid ī tabernāclō fēcistī? uictus sum, sī dīxeris.

- ME cadus erat uīnī, inde implēuī | hirneām. SO ingressust uiam.
- 430 ME eam ego, ut mātre fuerat nātum, uīnī | ēdūxī merī.
- SO factum est illud, ut ego īllīc uīnī hirneām ēbiberim merī.  
mīra sunt nisi latuit intus illic in īlāc hirneā.

- ME quid nunc? uincōne argūmentīs, tē nōn esse Sōsiam?
- SO tū negās mēd esse? ME quid ego nī negem, quī egomet siem?
- 435 SO per Iouem iūrō mēd esse neque mē falsum dīcere.
- ME at ego per Mercurium iūrō — tibi Iouem nōn crēdere;  
nam īniūrātō sciō plūs crēdet mihi quam iūrātō tibi.
- SO quis ego sum saltem, sī nōn sum Sōsia? tē | īnterrogō.
- ME ubi ego nōlim Sōsia esse, tū estō sānē Sōsia;
- 440 nunc, quandō ego sum, uāpulābis, nī hinc abīs, ignōbilis.
- SO certē edepol, quom illum contemplō et fōrmam cognōscō meam,  
quem ad modūm ego sum — saepe in speculum īspēxī — nimīs simile est meī;  
itidem habet petasum ac uestītum: tam cōnsimilist atque ego;  
sūra, pēs, statūra, tōnsus, oculī, nāsum uel labra,  
mālae, mentum, barba, collus: tōtus. quid uerbīs opust?  
445 sī tergum cicātrīcōsum, nihil hōc similī est similius.  
sed quom cōgitō, equidem certō īdem sum quī semper fuī.  
nōui erum, nōui aedīs nostrās; sānē sapiō et sentiō.  
nōn ego illī obtemperō quod loquitur. pultābō forīs.
- 450 ME quō | agīs tē? SO domum. ME quadrīgās sī nunc īscendās Iouis  
atque hinc fugiās, ita uix poteris effugere īfortūnium.
- SO nōnne erae meaě nūntiāre quod erus meūs iussit licet?
- ME tvae sī quid uīs nūntiāre: hanc nostrām adīre nōn sinam.  
nam sī mē irrītāssis, hodiē lūmbifragium hinc auferēs.
- 455 SO abeō potius. dī immortālēs, obsecrō uostrām fidem,  
ubī ego periī? ubī immūtātus sum? ubī ego fōrmam perdidī?  
an egomet mē illīc relīquiī, sī forte oblītus fuī?

nam | h̄ic quidem omnem imāginem meam, quae antehāc fuerat, possidet.  
ūiuō fīt quod numquam quisquam mortuō faciet mihi.

460 ībō ad portum atque haec utī sunt facta erō dīcam meō;  
nisi etiam is quoque mē ignōrābit: quod īle faxit Iuppiter,  
ut egō | hodiē rāsō capite caluōs capiam pilleum.

# 5A *Captiui* 1029–36

## ❖ Clap Now

*The CATERVA wants to hear it for the CATERVA*

1029 spectātōrēs, ad pudīcōs mōrēs facta haec fābula est,  
1030 neque in hāc subigitatiōnēs sunt neque ūlla amātiō  
nec puerī suppositiō nec ărgentī circumductiō,  
neque ubi amāns adulēscēns scortum līberet clam svom patrem.  
hūiūs modī paucās poētae reperiunt cōmoediās,  
ubi bonī meliōrēs fiant. nunc uōs, sī uōbis placet  
1035 et sī placuimus neque odiō fuimus, sīgnum hoc mittite:  
quī pudīcitiae esse uoltis praemium, plausum date.

# 5B *Casina* 1012–18

## ❖ *Or Else*

*Slave CHALĪNVS wraps up loose ends—and asks that we show our appreciation for today's play in the usual manner . . .*

1012      spectātōrēs, quod futūrum est intus, id memorābimus.  
              haec Casinā huius reperiētur filia esse ex proxumō  
              eaque nūbet Euthynīcō nostrō erīlī filiō.  
1015      nunc uōs aequom est manibus meritīs meritam mercēdem dare.  
              quī faxit, clam uxōrem dūcet semper scortum quod uolet:  
              uērum quī nōn manibus clārē quantum poterit plauserit,  
              ēī prō scortō suppōnētur hircus ūncus nauteā.